AD

SOLEMNIA MAGISTRORVM PHILOSOPHIAE ET BONARVM ARTIVM

DIE V. MART. CIↃIↃCCLXXII (1772)

CREANDORVM INAVGVRANDORVMQVE

IN AVDITORIO PHILOSOPHICO

CELEBRANDA

HVMANISSIME INVITAT

ORDINIS PHILOSOPHICI

DECANVS

D. HENRICVS GOTTLIEB FRANCKE P. P. O.

SACRI PALATII COMES.

INEST SVPPLEMENTVM.

Dissertationis de Nexu foederum perpetuae vnionis inter Augustam Domum Austriacam Poloniaeque regnum.

§. I.

Quinque fere praeterlapſa ſunt luſtra, ex quo diſſertationem meam *de Nexu foederum perpetuae vnionis, inter Auguſtam Domum Auſtriacam Poloniaeque regnum,* eruditorum examini ſubieci. Quum itaque in praeſenti iterum neceſſe habeam, vi officii, quo iamiam fungor, edere proluſionem academicam, ſimulque indicare creandorum nouorum magiſtrorum ſolemnia; non prorſus incongruum iudicaui, modo memoratae diſſertationis ſpicilegium, licet breue ac tenue, exhibere. Amplam quippe ac verboſam tractationem non permittit eiusmodi ſcriptionum ſcopus. Cuncta vero, vti e ſequentibus patebit, vnico tantum e fonte haurire licuit, deficientibus vtpote omnibus aliis. In perficiendo contra hocce ſupplemento, eum ſeruare animus eſt ordinem, vt, quae in ſingulis diſſertationis meae paragraphis vel illuſtranda, vel confirmanda ſupplenda aut emendanda veniunt, in medium proferam. Vnicum ſolum incommodum non prorſus potui euitare, ni-

mirum, quod, ſine diſſertatione, hocce ſpicilegium, non omni eo parte, ac plene queat intelligi. Interim ipſam tamen diſſertationem licet facile inuenire.

§. II.

Primam eamque ſolemnem *vnionem*, veluti *haereditariam* iniiſſe cum *Caſimiro III Poloniae Rege, Albertum Archi-Ducem Auſtriae*, fratrem Friderici III Imperatoris, in meae diſſertationis §. VII aſſerui. Sed antiquior extat, *Confoederatio inter Duces Auſtriae, Rudolphum Fridericum Albertum et Leopoldum nec non Meinhardum Bauariae Ducem ab vna, et Ludouicum Hungariae, atque Caſimirum Poloniae reges, a parte altera. Dat.* Poſonii *vlt. die Decemb. Anno* CIↃCCCLXIX. Exhibet illam ex authentico exemplari, quod extat in tabulario *Illuſtriſſimi* Dn. *Ioſephi*, Comitis ZALVSKI *Referendarii Regni* Praeſtantiſſimus CODEX DIPLOMATICVS *Regni Poloniae et Magni Ducatus Lithuaniae*, in his terris parum obuius, (Vilnae CIↃIↃCCLVIII ſq. fol.) T. I. p. 152 ſq. Ad contenta vero *huius foederis* quod attinet

1) Indiſſolubilis vnio inter foederatos firmatur, eorumque terras et dominia, nec non mutuum ac perpetuum auxilium, contra inuaſores quoscunque, nullo prorſus excepto, ſine vlla dilatione ac tergiuerſatione.

2) Nullum bellum ſine reliquorum conſenſu ac voluntate indicere, nec vllum inimicum vel hoſtem auxilio conſilioque iuuare, aut concordiam pacemque inire, ſibi inuicem promittunt foederati.

3) Commune potius omnium commodum, cunctis viribus promouere, et omnibus hoc impedire, vel ei derogare volentibus, ſeſe opponere pollicentur huius foederis conſortes.

4) In-

4) Inprimis vero ſe ſe obligant, omnes vniones concordias colligationes etc. huic foederi contrarias tollere, quae vero ipſi aliquod robur tribuere valeant, quocunque tempore ſint initae, ſanĉte ſeruare nec non magis magisque firmare.

Ingens praeterea occurit Praelatorum ac Baronum terrarum Auſtriacarum numerus, qui ſigillis ſuis, hocce confirmarunt foedus. Illius denique, ſcriptorum tam Germanorum quam Polonorum nullus, quantum conſtat, facit mentionem, nec in alia quadam collectione formulam eius me legiſſe recordor,

§. III.

Antiquius porro concluſum fuiſſe *foedus* inter *Albertum II* Imperatorem et *Vladislaum* Poloniae regem, teſtantur *Alberti Romanorum Vngariae Bohemiae etc. regis litterae plenae poteſtatis oratoribus ſuis datae, ad conficiendam pacem perpetuam cum Vladislao rege Poloniae, Datum* Strigonii *Sabbatho Poſt Feſtum S. Galli Anno Domini* CIↃIↃCCCCXXXIX. Deprehenduntur hae litterae, ex Archiuo Regni Lib. XXXVIII. No. XXXIX. fol. 1. in modo citato CODICE DIPLOMATICO T. I. p. 154. No. V. Ipſum autem foedus non videtur perfectum, quoniam illius non extat formula, nec ab vllo memoratur ſcriptore. Felicem illius exitum ſine dubio impediuit inopinata Caeſaris mors, mox ſecuta.

§. IV.

Ipſa porro formula *foederis* inter *Albertum Archi-Ducem Auſtriae et Caſimirum Poloniae Regem* concluſi, quam tunc temporis, quo modo adductam meam diſſertationem elaboraui, nec reperire nec annum concluſionis indicare potui,

extat, ſub duplici titulo, in ſaepius memorato CODICE DIPLOMATICO T. I. p. 161 ſq. No. XI. et XII. nimirum

I. *Foedus amicitiae Fraternitatis et vnionis, inter Caſimirum Regem Poloniae et Albertum Archi-Ducem Auſtriae, concluſum, ſaluo Iure Regis Poloniae exigendi a Domo Auſtriaca ſummam ducentorum millium aureorum numorum ſibi debitam, litterisque Ladislai Vngariae et Bohemiae Regis hac de re* (Anno CIƆCCCCLIII.) *datis integris manentibus. Datum* Poſnaniae *feria ſecunda in craſtino ſanctae et indiuiduae trinitatis* CIƆCCCCLXII. Ex Archiuo Regni Lib. III. Lit. C. Numero IV. fol. 546. In fine leguntur verba *Relatio Domini Vice-Cancellarii.*

II. *Tabulae eiusdem foederis ex parte Alberti Archi-Ducis Auſtriae. Dat. in* Homicz *Die XX Menſ. Septembris Anno* CIƆCCCCLXII. Ex originali in Archiu. Cancell. Regni Lib. III. No. IV. fol. 497.

Huius foederis contenta ſunt, quae ſequuntur

1) Sit foedus vnionis et fraternae concordiae inter foederatos.

2) Rex Caſimirus promittit Albertum Archi-Ducem omni honore fide ac amore proſequi, nec ei ſubditisque illius bellum inferre, nec ſubditis ſuis hoc permittere, vt et ſubditis Alberti, quique illius defenſione vel praeſidio gaudent, plenam ſecuritatem in regno ſuo, ac ſaluum conductum concedere, hac ſolum limitatione, vt controuerſiae inter ſubditos regis et Alberti Archi-Ducis, ſecundum leges et conſuetudines regni ac territoriorum ſuorum, decidantur, nec non ſaluis iuribus vxoris ſuae Eliſabethae.

3) Idem promittit, in ſeparato Inſtrumento modo adducto, Albertus Archi-Dux.

§. V.

§. V.

Ad illuſtrationem porro pariter ac emendationem eorum, quae §. VII. Diſſertationis meae de dote Eliſabethae diſputaui, non parum conducunt, quae ſequuntur documenta, nimirum.

1) *Caſimiri Regis Poloniae ratificatio contractus matrimonialis, inter ſe et Eliſabeth. Alberti Romanorum Regis filiam, Ladislai Vngariae et Bohemiae Regis ſororem per oratores ſuos initi. Datum* Cracouiae, *die XII Menſ. Auguſti Anno Domini* CIↃIↃCCCCLIII. Ex originali, ibid. p. 155 ſq. No. V.

2) *Ladislai Vngariae et Bohemiae Regis contractus eiusdem Approbatio et promiſſio, quod ſtabit conditionibus in eo expreſſis, ſub poena centum millium florenorum. Datum* Viennae XII *Menſis Auguſti. Anno* CIↃCCCCLIII. Ex Archiu. Regni Lib. III. No. IV. fol. 5. ibid. p. 156. No. VI.

3) *Literae eiusdem, quibus Caſimiro Regi Poloniae dotem centum millium aureorum Vngaricorum intra trium annorum ſpatium, ſub poena dupli ſe ſoluturum promittit, quod ſi non praeſtiterit, integrum erit Regi et Coronae Poloniae in terras et ciuitates eius inuadere easque retinere, vsque dum tota ſimul ducentoram millium aureorum ſumma eidem perſoluatur. Datum* Viennae XII *Aug. Anno* CIↃCCCCLIII. Ex Originali in Archiu. Cancell. Regni Lib. III. Lit. C. No. IV. fol. 7. it. Lib. V. No. VI. fol. 51. ibid. p. 157. No. VII.

4) *Caſimiri Regis Poloniae cum Ladislao Hungariae etc. Rege Conuentio, qua conſentit, vt reſpectu ſummae centum millium aureorum Hungaricalium ſibi debitorum, Ducatus Auſtriae ad ſoluenda tantum triginta duo millia hypothecae nomine ſit obligatus. Dat.* Cracouiae *die Menſ. Aug. Anno* CIↃCCCCLIII. Ex Archiu. Regni Lib. VII. Lit. G. No. VIII. fol. 104. ibid. p. 158. No. VIII.

5) *Re-*

5) *Regina Elisabeth abdicat se omni Iure successionis in Ducatus Austriae, eique annexas prouincias, conditionibus, quae in his literis exprimuntur.* Ex Origin. in Archiu. Cancellariae Regni Lib. VII. No. IIX. fol. 116 It. Lib. V. No. VI. fol. 59. ibid. p. 159. No. IX.

6) *Literae Casimiri Regis Poloniae quibus Reginae Elisabeth consorti suae, dotis et donationis propter Nuptias, certos Terrarum tractus, ciuitates oppida et villas obligat. Dat.* in Noua Ciuitate Korczyn *in conuentione generali. Sabbatho ante festum S. Luciae Anno* CIƆCCCCLXI. Ex Archiu. Regni Lib. XXVII. Numero XVIII. fol. 84. ibid. p. 160. No. X.

§. VI.

Foedus quod §. X. Dissertationis meae descripsi eiusque summam e Codice quodam MSto exposui, quoniam tunc temporis lucem publicam nondum viderat, typis nunc expressum ac integrum legitur ex Origin. in Archiu. Regni Lib. VIII. Lit. H. No. IX. In CODICE DIPLOMATICO T. I. p. 163. No. XIII. sub tit.

Tractatus foederis perpetui inter Fridericum III Imperatorem Vngariae etc. Regem, nec non Casimirum Poloniae Regem, ac inter Liberos, Haeredes et Regna et Subditos vtriusque conclusi, quo pro suo et Successorum suorum honoris, dignitatis, ac statuum incremento mutuam sibi opem auxilia, et defensionem promittunt. Dat. Gretz Die XX Mensis Octobr. Anno CIƆCCCCLXX.

Huic certo quidem modo adhuc videntur addenda foedera, quae tunc temporis mihi nondum fuerunt cognita, nimirum

Confoederatio inter Fridericum III. Imperatorem, et Casimirum Regem Poloniae contra Matthiam Hungariae Regem, qua tempus

tempus expeditionis condicunt, (foederati) *atque, vt durante hoc bello vterque eorum in Castris suis praesto adsit, inuicem se obligant.* Datum Nurembergae XIII Mensis Martii CIↃCCCCLXXIV. Ex Originali Sigil. 2. ibid. p. 164.

nec non

Confoederatio inter Eosdem praecedenti similis. Datum in ciuitate Augustensi *feria quarta infra octauam visitationis Mariae Virginis. Anno* CIↃCCCCLXXIV. Ex Originali cum Sigill. Imp. ibid. p. 166. No. XVI.

§. VII.

Ea vero quae §. XI. et XII. Dissertationis meae in medium protuli, illustrant, supplent et confirmant, diuersa tunc temporis nondum edita documenta, ac inprimis

Litterae Sigismundi Regis Poloniae nomine a commissione propria Regiae Maiestatis ad Maximilianum Imperatorem, pro maturando personali Conuentu Viennensi, perscriptae. Dat. Posonii die VII. April. *Anno* CIↃCXV. ex Archiuo Regni, ibid. p. 167. No. XVII.

Sigismundi Poloniae Regis Conditionum Pacis et Amicitiae inter se, et Maximilianum Imperatorem cum Matthaeo Cardinali Gurcensi Oratore Imperiali, in Conuentu Posoniano condictarum Approbatio. Datum Posonii XX Mensis Maii *Anno* CIↃIↃXV. Ex Originali in Archiuo Cancellar. Regni Lib. XIX. Lit. T. N. XX. fol. 24. ibid. p. 167. No. XVIII.

Praeter generalem mutuae vnionis ac pacis, inter Imperatorem ac Regem Poloniae confirmationem, in hac inprimis partes contrahentes sibi inuicem stipulantur.

1) Vt Status Prussiae maneat talis qualis Anno CIↃCCCCLXVII fuit.

2) Si nouae controuersiae inter Regem et Ordinem Teutonicum exoriantur, per amicabilem compositionem Maximiliani I. Imperatoris Vladislai Regis Hungariae et Cardinalis Matthaei Gurcensis finiantur.

3) Ne Maximilianus Imperator Marchioni (ſcilicet Brandenburgenſi Ordinis Teutonici tunc Magiſtro Generali) vlla ferat auxilia, ſi pacem cum Polono inire detrectet, aut initam ſeruare recuſet.

4) Rex Poloniae conſentit ne vllus quam Germanus in ordinem Teutonicum recipiatur.

5) Vt in ipſo conuentu cauſſae ciuium Gedanenſium et Elbingenſium, qui bannis imperialibus et aliis modis grauabantur, diſcutiatur et finiatur.

Haec autem iamiam recenſita momenta ſolennius dein in ipſo conuentu fuerunt acta firmataque, pro vt teſtatur

Renouatio et Confirmatio Amicitiae et Fraternitatis inter Maximilianum I Imperatorem et Sigismundum Regem Poloniae in conuentu eorundem perſonali facta. Magiſter Pruſſiae cum ſuo ordine Regi et Regno Poloniae perpetuo obnoxius, eisdem Iuramentum fidelitatis, et obedientiae, iuxta foederis Anno CIƆCCCCLXVI. *percuſſi formulam, praeſtabit. Rex Poloniae permittit vt ad ordinem Teutonicum ſoli Germani recipiantur. Camera Iudicii Imperialis ciuitates Gedanenſem, et Elbingenſem bannire, et infeſtare deinceps non audebit. Imperator Moſcho contra Regem et Regnum Poloniae non auxiliabitur. Datum* in Ciuitate Viennenſi XXII *Menſis Iulii. Anno* CIƆIƆXV. Ex Originali, ibid. pag. 173. Num. XXI.

§. VIII.

Devenio nunc ad §§. XIII. XIV. XV. et XVI. Diſſertationis meae, quorum contenta inprimis ſupplent ſequentia, et ante omnia

Documentum Caroli V. Imperatoris, quo Ferdinando Archi-Duci Auſtriae plenam facit poteſtatem innouandi, et confirmandi, Pacta, Conuentiones et Foedera inter Sacrum Romanum Imperium et Domum Auſtriae, ac Sigismundum Poloniae Regem, ſuosque Anteceſſores inita. Datum in oppido

pido Valisoleti *Die* XVIII *Mens. Mart. Anno* CIↃIↃXXIII.
Ex Archiu. Regni, ibid. p. 181. Num. XXIV.

Quae autem, vti §. XIII. asserui, tunctemporis, quo in publicum emisi meam Dissertationem, nondum lucem aspexit publicam *Formula Foederis inter Ferdinandum I. Regem Romanorum et Sigismundum Augustum Poloniae Regem.* Latino idiomate scripta postea legitur inserta tot vicibus iam citato CODICI DIPLOMATICO *Regni Poloniae Magnique Ducatus Lithuaniae* T. I. p. 213. Num. L. sub inscriptione.

Tractatus Foederis inter Ferdinandum Roman. Hungariae et Bohemiae et Sigismundum Augustum Poloniae Reges ac Regna Prouincias Nationes et Populos vtriusque canclusi, quo priora Pacta et Foedera inter Maiores suos inita renouant, et confirmant, ac mutua sibi inuicem contra omnes hostes auxilia promittunt. Milites alteri intra alterius Ditiones conscribere liceat. Rex Poloniae Nepoti suo Regis Hungarorum Filio, auxilia contra Ferdinandum non feret. Modus decidendi controuersias inter vtriusque Partis subditos praescribitur. Moneta iusto valore cudatur, eiusque aestimatio constituatur etc. Dat. II *Mensis Iulii. Anno* CIↃIↃXLIX.
Ex origin. Sigil. 2.

Huius foederis contenta, in iam allata inscriptione breuiter indicata, fusius exposui in mea Dissertatione §. XIV. *Confirmatio* porro *Caroli V. Imperatoris*, quae pariter tunc adhuc inscriniis latebat, eodem cum ipsa foederis formula tempore, publici iuris fuit facta insertaque modo iterum laudato CODICI DIPLOMATICO T. I. p. 219. Num. LI. ornata quae sequitur, inscriptione

Renouatio et Confirmatio Pactorum et Foederum inter Domum Austriae, et Reges ac Regnum Poloniae initorum per Carolum V. Imperatorem facta, eodem ordine, forma, modo et tenore, quo Ferdinandus Romanorum Rex eadem Pacta

 et

et Foedera, confirmauit, inſtaurauit et renouauit. Dat. Bruxellis *Die* XII *Menſ. Decembris* Anno CIϽIϽXLIX. Ex Originali deſcripta.

§. IX.

Recenſita vero §. XXI. Diſſertationis meae, rariſſimo e libro, ibidem memorato, *Acta Pacis Bithonienſis et Bendzizenſis* inſcripto, maximam partem quoque deprehenduntur in CODICE DIPLOMATICO T. I. p. 231 ſq. Quoniam vero quae in hoc leguntur ad dictam pacem pertinentia documenta, ex Originalibus fuerunt deſumta, differunt hinc inde, circa inſcriptiones et contenta ab iis, quae in modo memorato libro deprehenduntur, quemadmodum duo ſolum exempla iamiam proferenda, vel ſola inſcriptionum habita ratione, ſatis ſuperque comprobabunt. Nimirum ibidem No. XI. extans formula transactionis in CODICE DIPLOMATICO ita eſt inſcripta

Tractatus Pacis inter Rudolphum II Imperatorem Hungariae Bohemiaeque Regem, et Maximilianum Archi-Ducem, vniverſamque Domum Auſtriae ab vna, et Sigismundum III Regem atque Ordines Regni Poloniae et Magni Ducatus Lituaniae ab altera, per commiſſarios vtrinque cum plena poteſtate delegatos concluſus, quo Maximilianus inani paucorum ſtudio in Regem Poloniae electus praetenſo Iure in hoc Regnum cedit, ac Titulo Regis Poloniae ſe abdicat. Dat. Bithonii et Bendzini Die IX Mart. *Anno* CIϽIϽLXXXXIX. Ex Originali Sigil. 14. ibid. T. I. p. 231.

Contenta huius pacificationis fuſius exhibui in mea Diſſertatione, §. XXII. p. 38 ſq. Confirmatio contra transactionis Caeſareae, quae a me ſub No. XVII, p. 36. memoratur, cuiusque contenta §. XXIII. expoſui, in CODICE DIPLOMATICO iterum iterumque citato pag. 246. No. LXII. ita inſcripta legitur

Tracta-

Tractatus Foederis inter Rudolphum II. Imp. Hungariae etc. et Bohemiae Regem ac Sigismundum III Regem Poloniae conclusi, quo priora Pacta et Foedera inter Domum Austriae ac Reges et Regnum Poloniae inita renouantur instaurantur et confirmantur. Datum Pragae Die XXVI Mai. *Anno* CIϽIϽLXXXIX. Ex Origin.

§. X.

Illustrata a me §. XXIV. Dissertationis meae, instauratio pactorum inter *domum Austriacam regnumque Poloniae* deprehenditur quoque in CODICE DIPLOMATICO T. I. p. 294. ac sequenti gaudet inscriptione

Tractatus Foederis perpetui inter Matthiam Roman. Imperatorem et Sigismundum III Poloniae Regem, ac inter vtriusque Regnorum, Prouinciarum, et Dominiorum Populos et Nationes initi, quo priora Pacta et Foedera inter Maiores suos inita renouant instaurant declarant et confirmant, mutuumque sibi inuicem amorem et auxilia promittunt, atque haec et alia conclusa insimul ratificant. Datum in Arcibus Posoniensi et Varsouiensi *Die* XXIII *Mensis Mart. Anno* CIϽIϽCXIII. Ex Originali Sigill. 2. in Archiu. Cancell. Regni Lib. CXXVI. No. 127. fol. 3.

Amplum vero inprimis est foedus, quod *Ferdinandus II Imperator* cum *Vladislao IV Rege Poloniae* pepigit. Mentionem eius quidem feci in Dissertatione mea §. XXVI, sed simul etiam me illius formulam reperire non potuisse, ingenue sum professus. Et forsan tunc temporis nondum typis impressa fuit, sed sine dubio omnium prima vice, inserta legitur CODICI DIPLOMATICO *Regni Poloniae* etc. T. I. p. 300. No. LXXXXVIII. sequenti sub inscriptione

Foedus inter Ferdinandum II. et Vladislaum IV Regem Poloniae, quo priora Pacta et Foedera inter Reges et Regnum Poloniae inita renouantur et confirmantur. Dat. in ciuitate Vien-

Viennensi et arce Regia Cracouiensi, *Die* XII *Mensi Febr. Anno* CIↃIↃCXXXIII. Ex Origin. in Archiu. Cancellariae Regni Lib. CLXXVIII. No. 179. fol. 109.

Constat XVIII Articulis, in quibus fusius declarantur quae in praecedentibus, breuiori modo sunt exposita. Qua de caussa illius contenta hic repetere haud necesse iudicaui. Foedus porro inter *Leopoldum Imperatorem* et *Iohannem Regem Poloniae* XXIV Apr. Anni CIↃIↃCLXXVII. initum et a me §. XXVII Dissertationis meae illustratum, extat etiam in CODICE DIPLOMATICO modo iterum memorato T. I. p. 331. No. CXII. in scriptum

Foedus inter Leopoldum Romanorum Imperatorem et Iohannem III Regem Poloniae, quo priora Pacta et Foedera inter Reges et Regnum Poloniae inita, renouantur et confirmantur. Actum in ciuitate Viennae et arce Regia Varsouiensi *Die* XXIV *Aprilis Anno* CIↃIↃCLXXVII. Ex Originali Sigill. 2.

Huius denique foederis instaurationem Dat. Varsou. in arce Regia Mens. Nou. CIↃIↃCCXXXII. de qua egi §. XXVIII. Dissertationis meae legere licet in CODICE DIPLOMATICO Pol. T. I. p. 351. No. CXVIII. cum integris subscriptionibus, quas huc transcribere lubet, quoniam in mea Dissertatione non tam accurate potui exhibere. Sunt autem

Henr. Guil. Comes de Wilczek, *Legatus.*

Christoph. Anton. Szembek, *Episc. Vladislauiens. et Pomeraniae.*

Io. Potocki, *Palatinus et Generalis Terrarum Kijouiae, Capitan. Varsouiens. Commissarius.*

Theodorus Potocki, *Archi-Ep. Gnesn. Primas Regni Pol. et M. D. L.*

Ioseph. de Konczyce Mniszech, *Supremus Regni Mareschallus.*

Ioann. Lipski, *Episcop. Luceoriens. Procancell. Regni.*

Ioseph.

Mich. Casimir. Dux Radziuil, *Supremus M. D. L. Stabuli Praefectus*

Adam. a Wilkow Wilkonski, *Succamerar. Terrae Soc. chaczovienſ. Commiſſarius.*

Maximil. de Tenczyn Oſſolinski, *Supremus Regni Theſaurarius.*

§. XI.

Huc vsque igitur a me in medium prolata, ſunt quae praeſtantiſſimo ac non ſatis laudando ex COIDCE DIPLOMATICO *Regni Poloniae et Magni Ducatus Lituaniae*, ad ſupplendam emendandam confirmandamque meam Diſſertationem, de *Nexu foederum perpetuae vnionis inter Auguſtam Domum Auſtriacam Regnumque Poloniae*, quo huc tranſcribantur digna quid quod digniſſima iudicaui. Vlterius autem progredi prohibet quae nunc indicenda eſt ſolemnitas. Publice quippe nominandi ſunt viri iuuenes quos ordo noſter, exploratis per conſueta examina illorum ſtudiis, Summorum in philoſophia, honorum dignos iudicauit, ac partim nonnullis hos, per diplomata publice propoſita, iam contulit, nimirum IV prioribus, partim futuro die Iouis, qui eſt V Menſ. Mart. in ſolemni Panegyri in auditorio philoſophico, per Splendidiſſimum Dominum Procancellarium meque, Deo volente, conferet, IX. ſcilicet poſterioribus. Omnes autem, ſecundum morem huc vsque obſeruatum, locati, ita ſe inuicem excipiunt.

CHRISTIANVS CONRADVS CLAVS,
MILDENAVIA MISNICVS,
SACRIS FACIENDIS IN VRBE ZAHNA DIACONVS.

IOHANNES ADAMVS GOTTLIEB KIND,
WERDA - MISNICVS.

FRIDERICVS HENRICVS MAXIMIL. KERSTENIVS,
DRESDENSIS,
IVRIVM BACCAL. ET ADVOCATVS IMMATRICVLATVS.

GEOR-

GEORGIVS CHRISTIANVS HECK,

ONOLDINO - FRANCVS.

CHRISTIANVS SIGISMVNDVS HAVPTMANN,

GERA - VARISCVS.

CAROLVS TRAVGOTT THIEME,

CANITIO - MISNICVS.

CHRISTOPHORVS HENRICVS NESTLER,

LIPSIENSIS.

CHRISTIANVS GOTTLOB HEMPEL,

HORBVRGENS. MISNICVS.

CAROLVS WILHELMVS DASSDORFF,

MERSEBVRGENSIS.

IOANNES AVGVSTVS WOLF,

NAVENHOFFENS. MISN.

IOHANNES FRIDERICVS LOHDIVS,

GRVNBERGENS. MISNIC.

IOHANNES FRIDERICVS LYSIVS,

VOIGTSTADIO - MANSFELDENSIS.

HENRICVS ADOLPHVS SEGER,

KNOBELSDORFFIO - MISNICVS.

Ad vos igitur, RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE, ILLVSTRISSIMI COMITES, VTRIVSQVE REIPVBLICAE PROCERES, CIVES denique *Generosissimi* pariter ac *Nobilissimi*, mea nunc se conuertit Oratio, vos et Ordinis mei meoque proprio nomine, etiam atque etiam rogans, velitis perhonorifica Vestra praesentia haec solemnia reddere splendidiora. Insignem hunc honorem et singula Ordinis mei Membra, et Candidati gratissimo sane agnoscere animo nunquam intermittent. P. P. in Vniuersitate litterarum *Lipsiensi* DOMINICA ESTO MIHI A. R. S. CIϽIϽCCLXXII.

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIA.